

sudando. Certum casæ locum corticibus includunt, ac tegunt pellibus, ne qua possit aer aspirare. Intro congerunt lapides deustos & igne multo saturos. Subeunt nudi & brachia cantitantes jactant. Sed, quod mireris, ab his thermis egressi & sudore diffluentes, hyeme perfrigida, in lacum aut amnem se conjiciunt, de pleuritide securi.

Mortuorum cadavera nunquam efferunt per casæ januam, sed per eam partem, in quam conversus æger exspiravit. Animam putant evolare per camini spiraculum ; ac ne moras trahat, casæ pristinæ desiderio, neu puerorum aliquem discedens afflet, hoc afflatus videlicet moriturum, ut putant ; crebro fuste tundunt parietes tūgurii, ut eam citius exire compellant. Immortalem esse arbitrantur. Ne porro emoriatur